



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XXIX. De his qui tempore interdicti sepeliunt corpora defunctorum, aut sepelientibus opem praestant, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Jtem in quibusdam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1420.

augmentantes, singulis annis summus pontifex in cœna Domini denuntiat excommunicationi subiacerè: quos etiam, siue fuerint ecclesiastica, siue sæculares personæ, quocumque nomine censeantur, locorum ordinarii per se vel suos vicarios omni anno in eadem die cœnæ Domini, pulsatis campanis & accensis candelis, excommunicatos & ab omnibus euitandos vsque ad restitutionem integram debent denuntiare.

XXVIII.

Quod etiam in lecto ægritudinis potest quis testari, contraria consuetudine non obstante, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgerensis, quod incipit: Ad hæc.

Non obstante consuetudine, quæ potius est corruptela, ubi iura testamentorum sanctionem non prohibent, quilibet, etiam in lecto ægritudinis constitutus, legare, disponere & ordinare potest de bonis sibi collatis a Deo piis locis, aut alias. Et impedimentum præstantes per prælatos compesci debent ecclesiastica censura.

XXIX.

De his qui tempore interdicti sepeliunt corpora defunctorum, aut sepelientibus opem præstant, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgerensis, quod incipit: Item in quibusdam.

Excommunicati sunt laici sepelientes intra cœmeteria locorum interdictorum corpora defunctorum, aut qui sepelientibus opem vel operam præstant: a qua non absoluantur, nec per ordinarium loci, vel per eum cui super hoc specialiter commiserit suas vices. Huiusmodi tamen absolutio non est impendenda, nisi prius exhumentur sic tumulata, & satisfactum fuerit ecclesiæ & personis, quibus exinde iniuria dinoscitur irrogata. Nec etiam tales ad communionem ecclesiæ admittantur, nisi habeant super exhumatione & absoluteione prædicta literas ordinarii vel sui officialis.

XXX.

Quod mulieres per exclusionem a communione prohibendæ sunt ab illicito vestitu, ex statuto domini Eberhardi Saltzburgerensis archiepiscopi, quod incipit: Cum in partem.

Mandatur sub pœna excommunicationis omnibus lai-